

# ORATIO

*de*

SUMMO HOMINIS BONO,  
CONTRA EPICUREOS VOLUPTARIOS:

*Quam*

EX CONSENSU VE-  
NERANDI ORDINIS PHI-  
LOSOPHICI  
ACADEMIÆ GIESSENÆ  
INCLYTÆ

Habebat memoriter

*In publico conventu Academico*

FRIDERICUS DE SAL-  
HAUSEN, EQ. BOHEMUS, &c.

XVII. Januarii,

ANNO

Ritè perorantI en aVres aCaDeMia præbet,  
*AntonI in Jano cùm fuit orta dies.*



GIESSE HASSORUM,  
*Excudebat Nicolaus Hampelius, Typogr. Acad.*



EQUESTRI ET VETUSTO GENE-  
RIS AC NATALIUM SPLENDORE, VIR-  
TUTE ATQUE HEROICA FELICITATE No-  
bilissimo viro,

DN. ANTONIO DE  
SALHAUSEN,  
In Bensen & Warckerßdorff/rc.

Dn. Parenti suo, ipsâ vitâ cariori & omni-  
bus filialis obedientiæ officii jugiter  
prosequendo:

*Has ingenioli sui & studiorum primitias  
Literariis exercitii symbolum  
Debiti obsequii Fridericua  
Grata memoria τεκμήριον:*

*Pro feliciori novi anni augurio  
strena loco  
Ut meritò debuit, ita lubens voluit*

Dicare & consecrare  
FRIDERICUS DE  
SALHAUSEN Fil.



AD Dn. PERORANTEM DISCIPU-  
LUM SUUM.

**R**Et è sedulitas laudem præclara meretur;  
Et virtus, quæ animi symbola grata refert:  
Sedulus es: quoniam quæ te tardare laborant  
SALHAUSI, exsuperas & bene curris iter.  
*Id certè indè patet, celebri quòd in arte peritis*  
*Ausus es orando promere digna, Viris.*

Gratus es, has chartas tandem quòd mittis & offers  
Patri, à quo primùm vita salusq; tua est.

Ergò tua est meritò laus (quamvis unus & alter  
Arrodat Momus, te nihil ille movet)

Perge, tuosq; refer proavos, chariq; parentis  
Et JANI ABRAMI magnum imitare decus.

Perge, dabit vires pergenti Christus, & ausum  
*Ad majora vehet, non sine laude, tuum.*

Felicis ominis

ergò

F.

M. Johannes Langenheilm / T.



PROGRAMMA.

DECANUS COLLEGII PHILOSOPHICI

M. CHRISTOPHORUS  
HELVICUS,

HEBRÆÆ ET GRÆCÆ LINGUARUM  
PROFESSOR ORDINARIUS, OMNIBUS ACADEMIÆ  
hujus civibus, suo & Dnn. Collegarum nomine  
S. P. P.

**Q**UOD Dionysius olim Halicarnassensis in hypomnematis ad Ammaum, de suo tempore scripsit, Magnam presenti seculo habendam esse gratiam, tum ob caterorum studiorum incrementum longè maximum & disciplinarum omnium vigorem, tum ob eam etiam, qua perorandi studio passim impenderetur, curam: Idem hoc tempore de nostra quoq. Academia merito dici potest. In qua cum omnium Facultatum floreant studia felicissimè, non sibi certè Eloquentia quoq. defuit, sed præclaro amore sui in multorum animis excitato, aliquot publicis speciminibus hæcenus editis, non exiguam  $\delta\eta\lambda\iota\ \tau\alpha\ \kappa\epsilon\iota\ \tau\eta\omega\ \delta\eta\lambda\iota\ \delta\omicron\sigma\iota\upsilon$  demonstravit. Adeò ut cum Dionysio nos agere gratias æquum sit commutanti rerum vicissitudines non quidem Tempori, sed DEO: itemq. merita laude prosequi eos, qui ad præclarissima enituntur, & futurorum etiam ex præteritis conjecturam capere. Fuit sanè apud Vetustos heroas in magno precio hoc Eloquentiæ studium: Et ut Plutarchus rectè inquit, Reges ac Principes  $\delta\iota\omicron\tau\epsilon\phi\epsilon\epsilon\varsigma$ , quos Homerus appellat, tametsi sceptris essent stemmateq. prælustres, voluerunt tamen  $\mu\upsilon\theta\omega\upsilon\ \epsilon\eta\tau\upsilon\pi\epsilon\varsigma$ , Verborum oratores, simul effici; gratiamq. dicendi nequaquam aspernati fuere, sed congressus publicos,  $\iota\upsilon\alpha\ \tau\ \alpha\upsilon\delta\pi\epsilon\varsigma\ \delta\epsilon\iota\pi\epsilon\omega\tau\epsilon\epsilon\varsigma\ \tau\epsilon\lambda\epsilon\theta\epsilon\sigma\iota\upsilon$  (id est, e quibus evadunt homines cum laude celebres) sedulo frequentârunt. Neg. abs re Phœnix ille

Home-

*Homericus Achilli adolescenti adjunctus Moderator fuit, ut ad u-*  
*trumq; ipsum instrueret, μῦθων τε ἐπιτιμῆς ἐπιμαίοντες τε ἐργῶν, id est,*  
*Orator verbis, Actor sed rebus ut esset. Magnum scilicet decus est, imò*  
*omnino necessarium est iis, qui ad reipublicæ clavum sunt evehendi,*  
*non tantum γινῶναι τὰ δέοντα, nosse quomodo res gerendæ & admini-*  
*strandæ sint, verum etiam easdem ἐπιμαίοντες & perspicuè posse exponere:*  
*quod elogium Pericli apud Thucydidem tribuitur.*

*Hæc cum intelligeret Nobilissimus & antiquo stemmatis splen-*  
*dore conspicuus adolescens, Dn. Fridericus de Salhausen, Nobilif-*  
*simi & Heroica virtute inclyti Domini Antonii de Salhausen,*  
*Equitis Bohemi in Bensen & Markersdorff / r. filius, partim præ-*  
*claræ indolis & ῥητορῆς λήματος, ut Pindarus appellat, instinctu, partim*  
*laudabilibus aliorum exemplis incitatus, imprimis familiæ suæ inclytæ*  
*exemplis domesticis extimulatus ( in qua imprimis lucent adhuc super-*  
*stites Nobiliff. Domini, Johannes Adolphus Bock in Klipp : &*  
*Salhausen / r. Abrahamus Bock in Drisen / Klipp : & Salhaus-*  
*sen / r. avunculi, Fridericus de Salhausen, Dominus in Schwa-*  
*den / r. patruî magni filius, & Jan Abrahamus de Salhausen, in*  
*Bensen & Markersdorff / r. patruelis, omnes generis dignitate &*  
*exquisita eruditione, & plurimarum linguarum cognitione, peregrina-*  
*tionumq; tum in Academiis plerisq;, tum exteris regionibus con-*  
*sumptarum experientiâ instructissimi & autoritate eminentissimi, ut*  
*de cæteris jam nihil dicam ) constituit ipse quoq; in Illustri hac Acade-*  
*mia publicè se sistere, & velut ille in Isocratis Trapezitico non ob-*  
*βουλεύαν tantum, sed & ἐπιπολεύαν peregrè missus, in nostro literario*  
*Emporio Virtutem negociari, peroraturus MEMORITER de sum-*  
*ma Hominis Felicitate, contra Epicuri de grege porcos, qui volu-*  
*ptatem virtuti anteponeere consueverunt. Quod ipsius institutum cum*  
*favore omnium laudeq; sit dignissimū, majorem in modum rogamus*  
*Academiæ Proceres, Magnificum Dn. Rectorem, Amplissimum Dn.*  
*Cancellarium, cæterosq; Dnm. Professores Clarissimos, studiosos item*  
*nobilissimos & lectissimos omnes ac singulos, ut huic Declamationi,*  
*hora XII. Pomeridianâ instituendâ interesse, & eandem benevola*  
*A 3 sua*

sua attentione condecorare velint; quam quidem præcipuè in Audito-  
re, juxta Plutarchum, Oratio desiderat. Nam in hunc finem olim, ut  
idem autor habet, Gratiarum simulachra penes Mercurii imaginem  
Veteres collocare solebant, ut benevolentiam significarent ab auditori-  
bus expectari. Quod superest, Deum precamur, ut literarum studia in  
hac Academia florentia, in vigore perpetuo conservet, successus felices  
porrò largiatur, juventutis animos ad capeffenda jugiter tam præclara  
Ἰπτινδὲ ματὶς accendere non desinat, ut sæpè dici possit illud Pindari-  
cum, Πολλοὶ μέμνανται, καλὸν εἶναι πρῶτον. Per scriptum G I E S S Æ, XVII.  
Januarii, Anno sVperna MlseriCordiæ.

Oratio





O R A T I O  
DE SUMMO HOMINIS  
B O N O.

*In no Mine aterni & prapotentis  
Dei In Clp Io perorare.*



UM in omnibus causis gravioribus, *Magnifice Dn. Rector, Amplissimi Dnm. Cancellarii, Spectatissime Dn. Decane, Reverendi, Clarissimi, Consultissimi, Excellentissimiq. Viri, Academiæ Proceres, Dnm. Doctores & Professores, & vos adolescentes Nobilissimi, Lectissimi:* Cùm, inquam, in omnibus causis gravioribus commoveri solent vehementèr adolescètes, præsertim, si qui apud viros, qui reliquis vitæ integritate, morû maturitate, sermonis elegantia, linguarum peritia, rerumq; cognitione præstant, aliquid agendum pertractandùmve suscipiunt: Tùm in hac causa ita ego perturbor, ut quid agam, aut unde initiû sumam, planè incertus sim: Nam permultos esse facilè colligo & intelligo, qui eam animò imbiberunt opinionè, me viribus impar onus moliri, quod ex juvenili ingenio, ignorantia tenebris undiq; obliteratò, à quo cùm verborum tum rerum copia & nitor longè remotus, quodq; est veluti tabula rasa, in qua nihil depictum est, huic amplissimo & laudatissimo auditorio comprobata & pergrata depromere audeam, atq; adeò in tam florètissimâ lectissimorum hominum coronâ de eâ audeam declamare materiâ, quæ non circumforaneam quandam haustamq;

haustamq; de triviis ac circulis, sed exquisitam & reconditam requirat doctrinam.

Verùm, si instituti mei causam, ad quam omnia mihi collimanda, cognoverint, me nimirum non confidentiâ quadam ingenii, aut doctrinæ alicujus persuasione, non virtutis fastu, famæ cupiditate, gloriæ desiderio, temerario ausû, aut cæco impetû, sed iudicio aliorum, quibus sine gravi culpa refragari non fuit licitum, in hoc augusto confessu vestro, hæc mihi dicendi partes sumfisse, faciliè ut opinor, acquiescent, & meam in differendo infantiam, infacundiâ, imperitiam atq; hanc audaciam meam connivente oculo dissimulabunt.

Non dicam autem de rebus futilibus aut inutilibus, de levibus & brevibus, non de matre Evandri, aut Andromaches, nõ de Niobes filiis, sed de Summo bono, quod Epicurus ille Voluptatē esse asseverabat, voce plus quàm Stentoreâ clamitabat.

Quam sententiam impiam, falsam, erroneam, & nullius momenti esse, rationibus numero plurimis, pondere gravissimis demonstrabo, Idq; *Auxiliante Deo, Duce Christo & flamine Sancto.* Quod dum facio, Patres conscripti, ut benignas mihi aures concedatis, meamq; in dicendo jejunitatem vestrâ *Amicis* sublevetis, unice à vobis peto. Titubantes liberorum linguæ atq; anxii incertiq; gressus parentibus placent: Suntq; etiam eorum errores ipsis voluptati: Sic spero ac confido potiùs fore, ut meum conatum, non omnis erroris expertem, vos & probetis, & si sublimia humiliter, ampla tenuiter, illustria inornatè, tractavero, nihilominus animos vestros ad audiendum paratos, mentes ad percipiendum hilares, corda demum ad ea retinenda, quæ a me dicta erunt, mihi præstetis.

Sed unde in tantâ varietate incipiam? Tot enim initio  
occur-

occurrunt, ut conferta velut acie ferè obruant resistentem. Verùm imitabor peritos agricolas, qui ut inutiles ramos amputando, plantam fecundiozem, ita ego inutilia aut futilia refecando, pleniozem fructum polliceor, ac instar apicularum meliora exugens, ad meum hoc mellificium comportabo, quæ genio & ingenio doctorum virorum probantur: si quid verò mihi se obtulerit, quod ad rem ipsam non quadret, clausò mentis lumine, sicut Ulysses auribus occlusis cerâ Sirenes, præteribo. Agite ergò Epicurum, qui summum bonum, corporis voluptatem esse suaviter somniabat, examinemus, ejusq; sententiam, sagaci velut trutinâ, ad normam & formam veritatis perpendamus.

Hæc illa est, (voluptatem puto) quæ suavi titillatione sensus afficit, quæ impedit consilium, rationi est inimica, quæ perstringit oculos, nec ullum habet cum virtute commercium. Hæc esca est malorum, quâ homines capiuntur, ut hamò piscès. Hinc graviter, eleganter & eximie, eximius quispiam Musarum filius dixit: voluptates cum dedecore & turpitudine conjunctæ sunt, adeò ut fatius sit, quovis dolore lacerari, quam venenatâ ac pestiferâ earum suavitate mulceri, quæ tamen suavitas quam plurimis imbuta est miseris, diluta calamitatibus, infecta doloribus.

Hæc illa est, quæ hominem in beluam convertit, facitq; ut nullò modò beati, sed omnium miserrimi judicentur, qui eidem erunt addicti, adstricti, eâ irretiti, illaqueati.

Quis enim Sardanapalum, omnium libidinum & voluptatum charybdin, felicem esse prædicabit? quis Epicurum, spumam & sperma veneris, si se eduliis refarciat, &

-----*Distendat viscera Baccho?*

Quis Silenû, (qui in deliciis & vitiis non secus ac ille apud Plautum in rotâ amatoriâ volutabatur) *inflatum hesternò venas ut semper Iacchò*, ubi ferta procul caput delapsa jaceant

B

& gra-

& *gravis attrita, Cantharus ansa dependeat* ? Hosce propter voluptates beatos efficere velle, magis est ridiculum, quam illud Zenonis somnium, qui motum esse acerrimè negabat, licet suum per auditorium Diogenem coràm deambulante aspiceret. Poëtæ literis monumentisq; suis inter reliqua consecrarunt, Circen insignem veneficam veneficiis suis homines in feras mutasse & beluas, ita quidem, ut humani nihil, nec figura, nec mens superesset.

Hoc acutò figmentò ingeniolissimi illi Poëtæ innuere voluerunt, eos, qui ratione, aureò illò Palladis frænò, nõ ducuntur, sed in ventrem & libidinem projecti, veluti suæ cæno volutantur, jam præter vocabulum nihil hominis habere, sed ad pecudum naturam planè & plenè degenerasse. Hinc præclarè huic convenit, quod recentior quidam asserit, qui laborant, inquit, hoc vitio, omni exutâ humanitate, beluarum similes redduntur.

Quò enim major est voluptas, eò magis mentem de suâ dimovet sede, & quadam veluti immanitate homines reddit efferatos. Sapienter sapientum ex numero sapiens unus: Eorum qui se corporis voluptatibus dediderunt, earumq; se quasi ministros præbuerunt, impulsuq; libidinum, voluptatibus obedientiũ deorum & hominũ jura violarũ, corporibus elapsi circa terram ipsam volutantur, nec in hunc locum nisi multis exagitati seculis revertuntur. Et huic sententiæ ex parte alio in loco subscribit, Voluptates blandissimæ dominæ sæpè majores partes animæ à virtute detorquent.

Quis negat? quis dubitat? nisi qui a sino Cumano aut Coræbo stolidior, Melitide stultior?

Hinc rectè Aristoteles voluptatum blanditiis, inquit, deliniti ad ea gerenda omnia, quæ parva sunt, impellimur, & dolorum cum admoventur faces, à rectè factis deduci-

mur

mur. Unico verbo sic ago: Ut omnia flumina ad mare feruntur prono & perpeti cursu, sic ad hunc voluptatum & vitiorum Oceanum omnis generis sordes concurrunt & delabuntur. Hæc verè est lerna & ilias malorum. Est Cacus, Cerberus, Furia, Erynnis, & quicquid est istiusmodi Poëticorū monstrorum. Hæc homini, si consideras, malorum mater, hæc autor in nobis perturbatæ & confusæ vitæ. DE U M immortalem! quot possem voluptatis incommoda in mediū proferre? Tot enim sunt, ut laborem in eligendo. Hoc tantum adnecto, quod Plato, Homerus ille Philosophorum aiebat, ἡδονὴν εἶναι μέγιστον κακῶν δέλεαρ.

Jam verò quis summum bonum hæc designare arbitritur? Eximium & excellens, ita me Deus amet, profectò bonum, si hæc mala, quæ jam leviter & breviter ἐν παράδῳ enumeravimus, ab illo redundant. Summum bonum id certè judicari debet, quod bonum reddit, id cui convenit, imò felicem. Summum bonum est illud, in quo perpetua quies sine motu, summa delectatio sine molestia, insignis constantia sine levitate, divinus honor sine miseria, optimus vitæ terminus & actionum humanarum ultimus & sufficiens. Hoc ne centesima, imò nulla parte conferendum cū illo, quod Epicurus suadet, sed non persuadet, & nullus unquam, utut maximè cum Pericle dicendo fulgurare possit & tonare, convincet? Quid enim hoc aliud esset, quàm caduca cum æternis, fucata cum nativis, incerta cum necessariis, fluxa cum solidis conjungere & permiscere?

Summum bonum est illud, in quo cætera omnia hujus vitæ bona conglobantur, quod nullis icibus & nictibus, nullis fulminibus adversæ fortunæ concitatur, hoc solo appetitus rationis, voluntatis sitis extinguitur. Hoc qui possidet, non jam ampliùs fortunæ in labore & dolore inimicis telis opprimi potest, in hunc non jam novercatur fortuna,

Iudit & illudit eum, sed ipsis Fortunati oculis, ipsi Amaltheæ cornu longè is felicior existit, & hoc bonum firmiùs hæret, quàm quercus illa Virgiliana, quam

*Alpini Boreæ nunc hinc nunc fluctibus illinc  
Eruere inter se certant.*

*Ipsa hæret scopulis & quantum vertice ad auras  
Æthereas, tantum radice ad tartara tendit.*

Quod animum vincit, iracundiam cohibet, superbiam temperat, vitiorum fibras elidit, semina extinguit, radicesq; eorum evellit, virtutes amplectitur, atq; omnes affectus suppressit, Summum bonum est. Hoc, si quis utilitatem sequatur, nihil fructuosius: oblectationem? nihil suavius ac jucundius: splendorem ac pulchritudinem? nihil illustrius aut ad struendam nominis immortalitatem firmius ac stabilius reperiri potest. Quod homines humilimo loco natos ad altiora evehit, Summum bonum est. Hoc illud summum bonum est ultimus finis, suprema felicitas, quam si intuebimur, ut signum cupiemus ut præmium: & directiùs progredi, & velociùs ad optatum portù ferri poterimus.

Multa, Academiæ magnæ magni Seniores & Seniores, columina & lumina magna! multa mihi necessariò, imò infinita mihi prætermittenda erunt, ut servem certum aliquem modum. Quis enim ea omnia, quæ sese mihi ubertim offerunt, eâ, qua par est, perspicuitate tractare potest? Quis quæso, licet Ulyssæâ vel Nestoræâ dicendi facultate, vi Demosthenis, copiâ Platonis, aureò Aristotelis flumine præditus sit, tam disertus quisnam? qui pigmentis variare & Rhetorum floribus orationem ita distinguere possit, ut pro dignitate & majestate ea omnia, quæ ad hanc materiam requiruntur, eloquatur, ne dicam copiosius & distractiùs explicet? Sed ut tribus verbis dicam, meq; in pauca convertam, Summum bonum sub se tales opes continet, quæ nec furem

ncc

nec prædonem timent, nec incendiis, ruinis, naufragiis obnoxie sunt, nec aliis deniq; casibus eripi possunt ullis. O rem præclaram summum bonum! ô ardentissimo studio, summaq; corporis & animi contentione dignissimam! Tu munus & inventum es Dei: tu hominum decus & gloria: tu vitæ dux: tu adolescentiam alis, senectutem oblectas: secundas res ornas, adversis perfrugium & solatium præbes: Tua opem mala quidem nocere, te detractâ ne bona quidem prodesse possunt? At ô miserrima voluptas, hîc arrige aures, hîc asta, attende & intende, hunc ad ignem accede & incalesce plus satis; Tuné hæc præstas hominibus? ex te tanquàm limpidissimo & splendido fonte derivantur tantarum preciosissimarum rerum scaturiginès? Si Diis placet. Quando per tēpus aliquod homines venenata ac pestifera suavitate affecisti, mox dolores numero plurimi, acerbitate gravissimi, tempore sæpenumero admodum diuturni, eos insequuntur & occupant. Tu eos ignominia tandem coopertos, inopia exhaustos & adversâ fortunâ planè dejectos in omnium malorum Lernam & Camarinam præcipitas, tundis, protrudis, ut cum antea clavum tenuerint, vix postea in sentina locum inveniunt. Tu primâ statim fronte pulcherrima & elegantissima vidēris, sed in recessu plena sordium es & quiesciliarum.

Lupi titillando asinos vorant: Sic tu, dùm homines affectibus suis nimium succumbunt, vitiis & voluptatum blandimentis inserviunt ac mancipantur; de hominibus bestias, de robustis infirmos, de prudentibus fatuos, insipientes, imprudentes reddis, ut tandem omninò ab istiusmodi fædo & horrendo monstro absumentur. Quid multa? Summum bonum, quod in virtutis actione consistit, occupatur in finibus cupiditatum regendis, coercendis; Voluptas in finibus proferendis & occupandis.

Hoc bonum (si ita dicere fas est) multos in servitute[m] abducit, illud à servitute vitiorum in veram libertatem, ex ignominia in veram gloriam & in immortalia vindicat ac producit, ubi festivitas sine fine est, æternitas sine labe, sine nube serenitas, sanitas sine infirmitate, sine deformitate pulchritudo, jucunditas sine mœrore, sine errore sapientia, lux sine tenebris, dies sine nocte, sine morte deniq; vita.

Hoc exitio est, illud præsidio. Hoc terrori, illud ornameto. Hoc deprimit, furit, grassatur, illud consolatur mœrentes, afflictos excitat, jacentes erigit.

Verùm hæc, etsi maxima sunt, possunt tamen alicui videri exigua, agite ergo *Auditores, Magnifici, Clarissimi, Præminentissimi, Lectissimi*, faciam, quod animosi & fidentes Imperatores, eliciam in campum & aciem omnes meas copias, arcem hujus controversiæ invadam & strenuè conflagam, sed non insidiæ hîc metuendæ, non fraudes parandæ, apertò Marte pugnabo & velut collatis signis, & quod spero, expugnabo.

Summum bonum debet esse *ὀμειον* & in optima parte situm. Unde est, quod Aristoteles *ὁ δαίμωνίαν*, inquit, esse *ἐνέργειαν τῆς ψυχῆς λογικῆς*, quo ipse apertè innuit, summum bonū partem animæ nostræ præstantissimam occupare. Neq; hoc immeritò: pone enim, esse *ἀλλότριον*, nunquid hominis summum, nunquid optimum, nunquid præstantissimum & nobilissimum, si in pessima parte collocatum? Hoc velle affirmare, est nugas agere: fumi sunt, *λόγοι*, gerræ sunt plusquã aniles.

Deinde debet esse *ἴδιον*: Nec enim natus homo est ad Epimenidis somnium, aut inertiam Margite, non ad Phæacum mollitiem, aut Sybaritarum voluptates, non ad Cyclo-pum effrenem licentiam, aut insanam impietatem, sed ad summum aliquem finem, ad quem in omni sua vita tanquã  
ad

ad scopum tendere & collimare, ad quem omnes suos labores, sudores, omnia studia & consilia referre unice debet.

Is autem non cum aliis communis, sed omninò proprius sit oportet.

Adhæc, summum bonum quin fixum, stabile, permanens esse debeat, quis est qui dubitat? Finge (si fortè subit dubitatio mentem) bonum nostrum esse caduum, & quemlibet ad fortunæ strepitum concidere, ut ad ventum folia, nunquid exinde beati dicemur? Haud opinor, sed magis miseri erimus, quam Dæmones Empedoclei, qui nullibi poterant consistere, & thesaurum nos possidere existimantes carbones possidère nos deprehendemus. Hoc si verum, pro? quanta laboremus in charybdi, quanta de spe decidimus, actum est, ilicet perimus funditus.

Ad extremum debet esse perfectum: perfectos enim, nos reddere oportet, at quî reddet, DEUM immortalem! si ipsum imperfectum? Nemo certè in alium plus juris transferre potest, quàm ipse habet, & nisi perfectum esset, qua ratione summum? Et quomodo summum, nisi perfectum? Huc ergò sistamus voluptatem & ad Solem meridianum, ut aquilæ suos pullos, probemus. Nunquid hæc (voluptas) est summum *οικειον*? Nihil minus. Corporis enim est, & ita corporis, ut illud non conservet, sed enervet, non vegetet, sed hebetet, non acuat, sed exedat, non suaviter afficiat, sed interficiat, & sic afficiat, ut se affectum non fuisse optet postmodum.

-----*Nocet empti dolore voluptas.*

Exempla petis? Non aditum non exitum facilè reperirem, si hoc ipsum exemplis non nihil explicare & illustrare vellem, & si me penetrò in profundum hoc exemplorum! Sed tamen vultis paullum peregrinemur? Eamus.

Pausanias dux exercitus Græcorum vicit Mardonium ingen-

ingenti praelio. Unde diu non solum dux fortis & felix, ve-  
rum etiam modestus & probus habitus est. Postea vero cum  
esset Byzantii Capitaneus, ob fortunam splendidam & pro-  
speros felicesq; in bellicis rebus successus, propter quos ho-  
mines plerumq; extuberant & exuberant, superbiam in se  
rapiunt, fastum concipiunt, arrogantiam accersunt, facibus  
illiciti amoris & fædæ libidinis, (quæ mare malorum) accen-  
ditur erga honesti civis filiam, eamq; rapit, raptam stuprat,  
stupratam interficit. Hoc scelere commisso retractus ex  
Byzantio in patriam & in templum accersitus fuit, ex quo  
cum nollet egredi, fame periit, & mater ejus primum lapi-  
dem ad claudendam templi januam posuit: Nonne huic  
voluptas nocuit? O malum execrandum, detestandum, &  
navibus & quadrigis, ut dici solet, & remis & velis fugien-  
dum? quid non efficis, ubi semel hominum depravatorum  
animos occupasti?

Nihil hîc dico de Philippo, qui ob voluptatem satis  
crudeliter interficitur.

Sicco pede transeo & silentio involvo Aloysium ho-  
minem libidinosum, qui è fenestris suspenditur. Hoc cine  
est summum *οὐρανίου*, quod tanta tamq; innumerabilia mala  
designat: quod sui studiosos in presentissimum vitæ discrimen  
ducit & demergit? Et hac ratione Epicurum toto cœ-  
lo, totâ vitâ errare, quis est non modò ex versutis & astutis,  
sed & quisnam quovis Strepfiade ineptior, qui non videat?  
Sed ad alia pedem figo.

At nunquid est voluptas *ἰδίων* & proprium bonum? Id  
nondum video. Sunt enim voluptates homini cum brutis  
sive bestiis communes, imò hac ratione bruta longè essent  
beatiora futura, quàm homines ad DEI imaginem creati,  
cum & pluribus & diuturnioribus perfruantur voluptati-  
bus.

Vincunt

Vincunt enim nos sensuum sagacitate, sumunt eas securè, sine metu, sine periculo, sine conscientia morfu. Summum bonum verò non est inanimatorum, sed animantium: non brutorum, sed ratione præditorum: non equi aut bovis, sed hominis proprium, in eo habitat, in eo dominatur, in illo resplendet.

At verò est bonum stabile & diuturnum voluptas? Id verò quomodo Achilleis demonstrari possit rationibus, anxie & sollicitè expecto. Citiùs profectò lupi è faucibus agnus eripietur, mel Scarabæus faciet, vites feret profundū mare, leves pascentur in æthere cervi, quàm Epicurus hoc quod intendit, apertè & disertè evincet.

Quemadmodum enim ignis per aërem discurrens facilè evanescit & in fenum abit, sic voluptas citissimè transvolat & suo dolore & mœrore nocet præsentissimè.

Est in fabulis, quo tempore Juppiter exacto Saturno orbem terrarum gubernare cœperat, adfuisse coram illo voluptatem quoq; & dolorem, & se mutuo graviter accusasse cumq; ille nihil non tentaret, quàm ut in gratiam litigantes reduceret, frustra omnia conatum ipsos tandem renittentes, adamantinis vinculis constrinxisse, ut quamvis dissiderent, perpetuò tamè sociati & conjuncti essent. Ridicula hæc videntur prima fronte, sed si penitus introspiciantur, sapientia veræ non adumbratam, sed expressam præferunt imaginem.

Cùm enim in hac vita dolorem voluptas, voluptatem dolor à tergo insequatur, fatali quadam lege ista evenire statuendum est,

*Sic mala mixta bonis & bona mixta malis.*

Si placet & vacat, non nihil planiùs & pleniùs perquiremus, num ii, qui voluptatum blanditiis non industriæ, irretiti sunt, libidini non honestati, dant operam, num perpetuò

C

perpetuò

petuò felices fuêrunt? num etiam adhuc esse possunt? Nihil profectò à quoquam ægroto stultius somnari potest. Ebri-  
tati vesperi indulserunt! manè caput dolet, ea deinceps ra-  
tionis usum eis excutit, &

*Rectam tollit de cardine mentem.*

Rebus illicitis dederunt operam? manè vires esse debi-  
litas magno suo malo edocentur, totum corpus horret,  
languet & ad functiones suas sæpenumerò non magis ido-  
nei sunt, quàm sus ad lyram, asinus ad volatum, cæcus ad spe-  
culum, simiæ apud Hermogenem ad urbes condendas.

Hoc Epicuro est tanquam fudes in oculo, tanquam  
unguis in ulcere. Ex his luce meridiana clariùs patet, quàm  
perfecta sit voluptas, utpote quæ longè fugacior est quàm  
Empusa Virgiliana, longè mutabilior quàm Proteus, nec  
video quomodo perfectum bonum dici queat, cùm quantò  
quis magis eidem dat operam, tanto pejor habeatur.

Acris huc usq; mihi visa velitatio, nunc si vacat adhuc  
semel & simul ordine & sub signis copias meas inducam,  
quæ si aptè pugnant & repugnant, vici. Ecce prima fronte  
occurrunt quidam, qui omnia sua tela in me dirigunt, qui  
mihi ogganniunt, voluptatem cùm ab omnibus appetatur  
cumq; summam habeat delectationem, meritò pro summo  
bono accipiendam.

Quid enim? inquit, quorsum tanto labore, omnes  
voluptatem prosequantur, nisi pro summo bono eam ha-  
bendam esse censêrent?

Testantur historiæ, Xerxem Persarum regem reper-  
tori novæ voluptatis præmium constituisse. Milesii Her-  
modorum virum clarissimum è civitate ejecerunt, quia fru-  
galitatis & modestiæ erat amator. Dicebant enim: Nemo a-  
pud nos frugi sit, nemo unus excellat.

Sybaritæ frugalitatem odiò plus quam Vatinianò  
profe-

prosequerentur, & voluptatem ut Deam amplectebantur,  
fovebant, colebant.

Sed hi primò pedatò (ut cum antiquis loquar) pro-  
tendi sunt. Faciunt profectò intelligendo, ut nihil intelli-  
gant. Voluptas non est essentialiter delectatio, sed causa de-  
lectationis, quæ à sapiente non ut finis, sed ut bonum con-  
comitans exoptatur. Est enim bonum efficiens felicitatem,  
ut virtus, bonum adjuvans ut fortuna, bonum concomitans  
ut voluptas, bonum terminans appetitum ut ipsa beatitu-  
do, quæ sola propter se & vi suâ expetitur.

Et rectè Aristoteles inquit: Non honestum in gratiam  
voluptatis, sed voluptas in gratiam honesti est optanda &  
ab honesto voluptas recipit perfectionem & conditionem  
boni, non vice versa. Egregia verò commendatio volupta-  
tis, quod à multis expetitur. Miror cur non & aurum sum-  
mum bonum esse dicant? Expetitur enim ab omnibus, idè  
& illud pallère inquebat Diogenes, quia multos habèret  
insidiatores. Imò à hac ratione erit bonum longè opti-  
mum. Non enim à multis, sed ab omnibus, non à plebeis so-  
lum, sed & principibus non tantùm expetitur, sed necessa-  
riò requiritur. Cessent ergò nunc hostes in hac arce oppu-  
gnandâ, nam nihil efficient, nihil omninò juvant eorum a-  
cuta & venenata tela vel etiam terribilia tormenta, non vin-  
cent.

Magnus mihi cursus orationis adhuc ostenditur & aperit-  
tur, ut quantò plura dixerim, eò plura dicenda occurrant,  
sed non omnia sunt persequenda, nam si ea omnia aggrede-  
rer enumeranda, quemadmodum mente & animo conce-  
pta habeo, & ita in hunc dignitatis locum effunderem,  
dies me citiùs quam vox deficeret.

Quapropter, Patres conscripti, non est mihi ampliùs  
vestra humanitate & in audiendo *ἰπτικεία* abutendum, sed  
potiùs

potiùs finis orationi meæ, nullo artificio excultæ, nullo oratorum sale conditæ, nullis pigmentis coloratæ imponendus, portus tandem aliquando respiciendus, vela contrahenda.

Habuimus ergò, in quantum noxia sit voluptas, quàm fallax, quàm caduca, quàm planè libero homine indigna, illámne igitur summum bonum dici posse arbitrabimur? Fatuum esset hoc & nihil aliud quàm pro Junone nubem arripere, pro Iphigenia cervam, pro Jove saxum, umbram pro corpore, falsa pro veris, adulterina pro genuinis, granum unioni antepone, aurea cum æneis arma Glauci more permutare.

*Non Epicure tuum mihi, si fas vera fateri,  
Ingenium & genius corde placere potest.  
Qui placeat? rerum pervertis semina, stulte,  
Natura tollis commoda sana bona.  
Quis dicat, summum qui condidit omnia, Iovam  
Humanum hoc quondam finè creasse genus:  
Delitius animos omnes, ut more ferino  
Expleret vitis imbueretq; suos?  
Egregium me Christe bonum, furiosa voluptas,  
Quam si quis teneat, sit miser ille magis!  
Non Furia majus, licet ipsa Acheronta moverent,  
Ex Orci possent promere fauce malum.  
Corporis absomit robur violentius, omnes  
Debilitat vires emta dolore gravi;  
Quin imò mentem & sana rationis acumen  
Obtundens homines, dat magis esse feros.  
Pone voluptates, sapientia cedit amica,  
Succedent tenebrae & quicquid ubiq; malum est.  
Non benè conveniunt nec in una sede morantur  
Vis stulta & ratio, iussit id ipse DEUS.*

*Inficit*

*Infcit ingenuos animos, facit usq; sequaces  
Vi merus & verus terror & error agat.  
Nunc Epicure tuum mihi si fas vera fateri  
Ingenium & genius displicet usq; magis.  
Tu valeas summumq; bonum quod credis adesse  
Tecum habeas, nos hic mens meliora docet.*

Quod reliquum est, cœleste lumen & numen, ardenti-  
bus votis & supplici voce oro, rogo, obsecro, obtestor, ut in-  
clytam hâc Academiam felicissimis quibus hætenus mira-  
biliter eâ adauxit incrementis, in posterû quoq; perpetuet  
ac beet, Illustrissimum Celsissimumq; Principem ac Domi-  
num, Dominum LUDOVICUM, Fundatorem simul & Patro-  
num munificentissimum, æterna nominis memoria cele-  
brationeq; dignissimum, unâ cum Illustrissimis Dominis  
Fratribus, adeoq; totius complexu regiminis, incolumem,  
felicem, fortunatum, ut hætenus ita & posthac, quàm diu-  
tissimè moderetur & gubernet, conservet & tueatur. Vo-  
bis quoque, qui estis hujus celeberrimæ Academiæ fidera,  
quamdiu in hac brevitate & fragilitate degitis, veras & sin-  
ceras animi voluptates, vitam cum sanitate corporis longâ,  
honorem cû stabilitate virtutis firmum, fortunam cum af-  
fluentia rerum optimarum prosperam, finem deniq; cum  
salute mentis beatissimum concedat, tribuat, largiatur.  
Quibus equidem omnibus & singulis tam pro sua honori-  
fica præsentia, quam benevolentissima animi propensaq;  
attentione præstare mihi voluerunt grates ago ingentes,  
meamq; vicissim quantumcunque pote officia Hesiodea  
mensura promptissime offero, spondeo, polliceor.

DIXI.

D 3

Ad

AD NOBILISSIMUM ADOLESCENTEM,  
DN. FRIDERICUM DE SALHAUSEN, DE SUM-  
mo hominis bono Ethico, cum Auditorum summo  
applausu differentem.

**Q**uod sit summum hominis bonum?  
Dum tu mellifluo gutture differis  
O Fridrice, patris lepor,  
Primatum juvenum fulgide floscule:  
Ipsam te cata pulpita  
Orantem aspiciunt suspiciuntq; quodam  
Verbis tam bene conditis  
Et cum tam nitidis undiq; gestibus  
Mentis sensa tua, nihil  
Hærescens, penito pectore proferas.  
Auditorum adeo chorus  
Omnis te stupet, & clamitat: Hoc quid est?  
Etas si tua primula  
Tanto iudicio dexteritateq;  
De rebus gravibus potest  
Dissertare: vigor cum veniet tibi  
Annorum melior, quis est  
Qui possit similem se tibi sistere?  
Macte, ô Nobilium decus,  
Primatum Iuvenum fulgide floscule  
Augesce innumeris modis:  
Et præses patriæ jurè vocaberis.

Josephus Lautenbach Med. D. & Profes. & pro  
tempore Acad. Giessenz Rector.

Ad




AD NOBILISSIMUM JUVENEM  
FRIDERICUM A SALHAUSEN, &c.  
*Equitem Bohemum.*

JUre velut reliquis præstantior esse putatur,  
Qui claræ fulget Nobilitatis Avis.  
Et cavet Antiquæ deflectere ab Indole pulchra  
Stirpis, in externis spemq; locare bonis:  
Sic illustre genus qui donis Palladis ornat,  
Vivida perpetuæ nomina laudis habet:  
Illud cum præstes Juvenis Generose, quis ergo  
Te vera clarum Nobilitate neget?  
Perge ut cœpisti, nec anhelò desine cursu  
Virtutis pulchras impiger ire vias:  
Perge voluptatem virtutis habere Novercam  
Pro damno Juvenum, pernicioq; gravi.  
Numina Musarum venerare Novena, *Boniq;*  
In tenero *summi* pectore flagret Amor.  
Inde tibi surgent laudes, aulisq; potentum  
*Salhausen* nitidi sideris instar eris.

*Jeremias Vietor S S. Theolog. D. Pastor  
Giessensis & Superintendens.*

No-



OLESCENTEM  
AUSEN, Dr. Sc.  
Auditorum summo  
em.

Med. D. & Prof. Dr.  
essenz Reiter.




NOBILISSIMO ADOLESCENTI, DN.  
FRIDERICO DE SALHAUSEN, EQUI TI BOHE-  
mo, Epicureas voluptates gravi oratione vituperanti & con-  
trà eam, quæ ex virtute est, felicitatem pro more Scho-  
larum commendanti in Inclyta Academia  
Gießensâ

IOHANNES WINCKELMAN SS. THEOLOGIÆ  
Doct̃or & Professor gratulatur.

QUàm benè conveniunt & in una sede morantur  
Nobilitas generis, Laus & ab arte fluens!  
Inscia nobilitas, Clara virtutis & expers  
    Quid præter stirpem, dic mihi, laudis habet?  
Nobile stemma tibi, pro avorum factaq; laudi     “  
    Sunt tum, si laudi sint tibi, quæ tua sunt.     “  
Ergò Sallustia gentis generosa propago,  
    Dum genus arte ornas, quàm Friderice sapis!  
Artem si pietas cingat, virtusq; coronet,  
    Nobilitatis opes tum benè comptus habes.  
Quas Paphium quia perdit opes opus, atq; Epicuri  
    Suavia, ceu pestes hæc fugienda fugis.  
Hæc fugienda fugis, cunctis fugiendaq; suades  
    Eloquio, audivit quod nova Gießa, tuo.  
Maçte animi juvenis, non hic subsistere fas est,  
    Altius ingenium tolle labore tuum.  
Artis lætus adi & virtutis calmina: Sic tu  
    Sallustia quondam lux eris ampla domus.

Quæ



QUA VIRTUTE, QUA GENERE NOBILISSI-  
mo Iuveni, FRIDERICO de SALHAUSEN, conui-  
ctori suo dilectissimo,

BALTHASAR MENTZERUS S.P.

A Urca pax, verbo divino congrua, ditat,  
Et pietas florem nobilitatis habet.  
Ritè facis, pulchrum quòd nominis omen adimplet,  
Et virtute ornas & pietate genus.  
Sic orare piè pergas, orare disertè,  
Grata Deo dicens, grata Deo faciens:  
Summo sic potière bono, duce & auspice Christo,  
Quo melius nihil hic maximus orbis habet.

Τάνώτερον καλῶς.



AD Dn. FRIDERICUM DE SALHAUSEN,

Perorantem:

Ἐποφνημικῶν

M. CHRISTOPHORI HELVICI, HEBRÆI-GRÆCI  
PROFESSORIS.

E Uge Salhusiacæ sic, ô spes maxima, stirpis  
Perge imitando tuos & decorando tuos!  
Scilicet hæc scala est ad Honoris nobile Templum,  
Virtutum & Studii continuata gradu:  
Cujus ad eximium priùs ascendere cacumen,  
Qui jam sunt generis lumina magna tui,  
Antiquo illustres Titulo; qui traditus olim est  
Auspiciis, Cæsar MAXIME, spontè tuis.

D

Hi

Hi præiere viam: Preme tu vestigia, Non te  
Destituit genii vis animive vigor.  
Ipsa perorantem te audivit Musa, Lycei  
Cum foret ingenti concomitata choro.  
Audiit, & dixit: Tantum promittere nunquam  
Hac de ætate mihi roboris ausa fui.  
Major inest virtus ætate, peritia major  
Elucetq; animi vis generosa tui.

Ah quanta hæc patri est, ah quanta futura voluptas,  
Quando de gnato hæc audiet ille suo!

a) Illius esto tibi speculum velut, inclyta virtus:  
Cæsari & Augusto sæpè probata fides.

Quin & b) Avi: Ducibus qui magnis intus omni  
Tempore consilii dexteritate fuit.

Quin & c) Fridrici & d) Wolfgangi vivida virtus,  
Omnigena rerum cognitione potens.

Quin & uterq; animo volvatur e) Avunculus imo,  
Saxonici egregium lumen uterq; soli.

a) Antonius de Salhausen in Bensen & Marckersdorff, &c. Eques  
Bohemus, Generosa profapia & heroa virtute inclytus, splendore dignitatis  
& auctoritate magnificus, Parens.

b) Abrahamus Bock in Klipp: & Salhausen, tribus Illustrissimis  
Saxonia Electoribus Dn. Augusto, Dn. Christiano I. Dn. Friderico Vil-  
helmo Proelectori, & Dn. Christiano II. à Secretioribus Consiliis, tum aula  
Marescallus, & iudicii Provincialis (quod vocant) Lipsia Præses supre-  
mus, Avus maternus.

c) Fridericus de Salhausen, in Schwaden, Eques, &c. Nobile  
Reip. literarie decus, literatorum Mecenas summus, magnifica virtute præ-  
sigit, Propatruï Fil.

d) Wolfgangus de Salhausen, in Bensen & Marckersdorff,  
Eques, &c. flos nobilitatis, Patruelis.

e) Johannes Adolphus Bock in Klipp: & Salhausen, Illustrissimi  
Principis Saxonie Electoris Dn. Christiani II. Consiliarius primarius in  
aula Dresdensi, & Abrahamus Bock in Bisen, Klipp: & Salhausen, &c.  
Electoratui Saxonici Consiliarius Provincialis, uterq; summum literarum  
heroicæq; dignitatis ornamentum, Avunculi.

f) Jo-

Quin & magnanimi Lunari in Monte f) Toparchæ,  
 Quem Doctrina beat, Consiliumq; beat.  
 Quin & Hugoldus g) & h) Ernestus, duo munera Suadæ,  
 Quos decorant animi nobilioris opes.  
 Et qui primus erat i) JANUS memorandus ABRAMUS,  
 Abramus doctę Nobilitatis apex.  
 Cui fluit è culto calamo dulcissima Pallas,  
 Cui fundit pleno pocula vase Charis,  
 Sive Latina velis Tullii senis aurea verba,  
 Sive apis Argivæ mellea fortè velis.  
 Non audita loquor, fas sit mihi visâ referre,  
 Quæ tenuère animum sæpè legendo meum.  
 Doctrinæ né prius cultum? mansuetave mirer  
 Pectora: vel nitidum cum gravitate stylum?  
 Quid memorem vasti penetralia cognita Juris?  
 Quid Gallos, Italos, Hesperiosq; sonos?  
 Nempè peregrinis hæc addiscuntur in oris,  
 Quas illi studium pervolitâsse fuit.  
 Mature hoc sensit Lipsena Academia, plausûs  
 Quando peroranti publica signa dedit.

f) Johannes Hartmannus ab Erff, in Erff, &c. Ducatus Luneburgici Prefectus summus: familia antiquitate, strenuitate, eruditione & eloquentia magnus. Matertera maritus.

g) Hugoldus de Starfchedel, Eques Bohemus, in Bensen, &c. antiqua stemmatis dignitate, Eloquentia politicaq; prudentia decore nobilissimus. Matertera maritus.

h) Johannes Ernestus Haugwitz, Eques, &c. Ecclesie Cathedralis Naumburgensis Prapositus, Preses Cizensis, nobilitate generis & strenuitate amplissimus. Matertera maritus.

i) Jan Abrahamus de Salhausen, in Bensen & Marckersdorff, Eques, &c. Patruelis, exemplar erudite nobilitatis insigne. Quin imò omnes Ortu, Arte, Marte, Virtute, Auctoritate, nobilissimi.

En hos atq; alios (quis enim percenseat omnes?)  
In cœpto cursu, quos imiteris, habes.  
Additus est studii Phœnix Moderator aviti,  
Qui doctâ gressus dirigit arte tuos.  
Cui si præbueris facilem, velut hæctenus, aurem,  
PELIDES olim maximus alter eris.

*Ejusdem Anagrammata duo.*

I.

FRIEDERICUS DE SAALHAUSSEN:

ex quo

HEUS VERNAS ADFERS DELICIAS.  
Flos veluti *vernus* cunctis est grata voluptas,  
Sic *fers delicias*, tu Friderice, meras.

II.

FRIDERICUS DE SALHAUSEN

ex quo:

LAUDES DIVAS HINC REFERS.  
Gieffenis placuit Musis Oratio: *Laudes*  
*Hinc igitur divas ambrosiamq; refers.*

---

EJUSDEM

APOSTROPHE

AD Dn. PERORANTIS PRÆCEPTOREM,  
Dn. M. JOHANNEM LANGENHEIM, VIRUM POLI-  
tiore literaturâ & virtutum splendore excellentissi-  
mum, amicum suum dilectis-  
simum.

**A**Rboribus fructus decus est, flos vividus Herbis,  
Messis agro, Campo gramina, piscis Aquæ.  
*Sic tua Discipulus magna est, præclare Magister,*  
*Gloria, in obsequii dexteritate sui.*  
*Fructus ab arboribus, flos enutritur ab herbâ,*  
*Far ab agro, à campo gramina, piscis aquâ.*

*Sic*


Sic tu illum puro Musarum è nectare succo  
Imbuis, & magni dona vigoris alis.  
Maecti ambo! hoc nexu felici gloria vobis  
Crescat in aeternos non moritura dies.  
Et quia decretum est plures in visere terras,  
Esto Deus vestra duxq; comesq; via.  
Vobiscum quò rebus agat fortuna secundis,  
Et faüstâ captis omnia sorte fluant.

Χειρὸς Ἡμῶν Σωτηρία.

AD DN. FRIDERICUM DE SALHAUSEN,  
Publicè cum auditorum approbatione de Summo Bono  
Perorantem.

EST magnum magno nasci de sanguine: Majus  
Est quid Majorum facta probata sequi.  
At summum decus est propria virtute nitere,  
Et patriam studiis amplificare domum.  
Omnia cum coëant in te *Friderice*, tot inter  
Illustres proavos concelebrandus eris.  
Magnus es, at Major si sic modò pergis; & olim  
Crede mihi, magnos Maximus inter eris.

M. Cunradus Dieterich Ethica  
Professor & Pedagogiarcha.



ALIUD.  
FRIDERICUS DE SALHAUSEN  
Μετὰ χαρμῶν ἰζήτη  
FIS CHARUS, LAUDE RENIDES.

Non nego, patrìto ramus millesimus ortu  
Et lorica nitens, Galeæq; insigne decorum

D 3

Et

Et proavum virtus & masculus indolis ardor,  
Sunt aliquid, stirpisq; queunt sarcire ruinas,  
Ædificantq; viros tenuis ipsa cacumina cæli.

Qui tamen ingenuas coluit feliciter artes,  
Quiq; laboravit publicis inscribere chartis  
Incrementa sua virtutis & artis & ortus;  
Est teres eloquio, & caput exsinuavit in auras,  
Atq; voluptates inum damnavit ad orcum,  
Odit & irato cane pejus, & affide pejus;  
Quemq; palestriten ubertas lactea fandi  
Vidit, & in cathedra pubes Academica stantem  
Admirat a fuit ceu fidum Heliconis alumnum.

Ille mihi majus splendoris habere videtur  
Momentum, & titulos & avite lucis honores  
Exuperare, accendere lumen lumine majus.

O quàm te memorem juvenis generose feraceis  
Cui peperit titulos proavorum virvida virtus!  
Sis licet à proavis ingens, sit stemma vetustum,  
Vnde genus ducis, clypeosq; ostendere possis;  
Vis tamen & propria nomen virtute parare,  
Vis arte ac ortu, vis gente & mente coruscus  
Esse, & virtutis numeros partesq; tueri.

Sicut gemma micat fulvo qua jungitur auro  
Clarius, & nostros perstringit fortius hircos:  
Sic quoq; nobilitas junctâ virtute nitescit,  
Et tibi conciliat majori fœnore lumen.

Hinc ò hinc procerum toto applaudente senatu  
Fis clarus charusq; bonis ac laude renides.

Sis felix Friderice, & doctorum ora mereri  
Perge virum, serosq; veni celebratus in annos,  
Sic genere, ingenio ingenuo, genioq; micabis,  
Et magis atq; magis sublimem gloria tollet.

M. Casparus Finckius Log. & Phys. Profess. ordin.  
Ad



AD EUNDEM Dn. FRIDERICUM DE SAL-  
HAUSEN, UT ET PRÆSTANTISSIMUM ET  
doctissimum Virum, Dn. M. JOHANNEM LANGENHEIM,  
studiorum ejus directorem, amicum meum cer-  
tissimum.

**E**Nodes Cedros sic cernes crescere, sicut  
Crescis in Hassiaco, mi Friderice, solo.

Quando igitur quicquam rectè auguror, auguror illud,  
Olim immortalis, cum morieris, eris.

Efficit hoc tua cura, ac sedulus indolis ardor,  
Langheimi; ò patriæ lux oritura tue!

Ob decus ingenii, & vitam sine labe peractam,  
Atq; ob iudicii florida dona tui:

Ob comes, qui multo hilarant te munere, mores,  
Ob pectus cultu juris utroq; catum:

Diligo te nimirum tot caros inter amicos,  
Hic apud undisoni murmura rauca Lani.

Nunc aliò meditaris iter, veteresq; Treboces  
Sectaris, Domino te comitante tuo.

Et delubra Dices, castæq; Themistis alumnos  
Per desiderii flamma vota petis.

Maecti animo, illustres animæ, vos calitùs unà  
Servet trina Monas, sospitet una Trias!

Ordinet egregios vobis horoscopus annos,  
Pellat & obscuros sub Phaëthonte dies.

Ne bonis avibus; Christo comitante redite,  
Et reduces patrios exhilarate lares.

M. C. F.



In

IN DOCTISSIMAM ORATIONEM DE SUMMO  
hominis bono, Nobilissimi & summa expectationis Adolescentis,  
Dn. FRIDERICI de SALHAUSEN, Eq. Bohemi, haftenus in  
Illustri Academia Gießena, bon. art. studiosissimi.

S Cilicet unanimi jurarunt plurima voto  
Spectora, jurarunt sed pectora egentia mentis,  
Circéa stabulare domo, Eurylochoq; relicto  
Ad fædos brutum comitari Elpenora porcos:  
Usq; adeo rationis egent, potiusq; sequuntur  
Turpe voluptatis non eluctabile cænum  
Inq; volutabris Epicuri spontè lavantur,  
Nec non deliciis animum præsentibus explent.  
Atq; utinam vulgus tantùm parsq; infima plebis  
Huic animum studio addixet, nullosq; pateret  
Ingenuos tentare viam sub calle sinistro.  
His decus, à virtute venit, nomenq; merentur  
Semidéum, certamq; ferunt super æthera palmam:  
His Ithacus prodens heroo prætulit aufu  
Moly, graves animo superansq; domansq; labores.  
Sed tamen (hæc altas vis indolis ignea mentes  
Roborat;) haud omnes vitiorum colla capistris  
Subjiciunt, plerosq; juvat non sanguinis ortu  
Sed probitatis ope & virtutis munere niti.  
Hinc juvenum, inde virum totos huc ire maniplos  
Cerminus. hi dextrum pleno callem agmine stipant.  
Quos inter tua progenies patriæ indolis hæres  
Magno animo *Antoni*, ad studium virtutis anhelat,  
Nec non ad templum summasq; ad Palladis arces  
Subvehitur magnâ juvenum stipante catervâ.  
Hic coram Aonia turba sanctoq; senatu  
Virtutis studium super ætheris extulit orbes,

Elo-

Eloquioq; gravi spacium omne implere theatri  
Vifus, & è memori verba omnia mente profari.  
Sic age, sic *Friderice* animum, sic vota parentis  
Implebis, generisq; ornabis stemma paterni:  
Atq; olim, cum te firmabit grandior ætas,  
Corda tuo poteris præbere vicaria patri,  
Confilio & patriam terram auxilioq; levare,  
Et Bojemorum resq; omnes Cæfaris almi  
Frugiferas ad opes & commoda ducere recta.

*Conradus Bachmannus M.*

---

A L I U D.

**M**ultum est à teneris annis consuescere, multum est  
Ingenium à teneris excoluisse sagax!  
*Hoc natura docet, docet optimus ille magister  
Rerum usus, quam sit fortis ad ingenium!  
Hoc Friderice doces Clarorum ante ora virorum,  
Dum facis angusto verba diserta loco.  
Perge ita, sic viridi collecta in flore, videbis  
In senio; accrescet iudicium ingenio.*

Amoris ergo Cognato suo gratulabatur  
Abraham de Sebotendorf. Siles.

---

A L I U D.

**C**UM sermone tuo cunctorum pectora cultò  
Demulxisti, auresq; simul, verèq; probasti,  
Nequaquam rectum sola ex ætate petendum  
Iudicium, vinci sed ab indole sæpius annos:  
Injecisti animo suavissima vincula nostro  
(O *FRIDERICE*, tuæ longè spes maxima gentis)  
Et desiderium, concordii ut vivere tecum  
Ardeam amicitia & fale consuetudinis uti.  
Hæc mea quàm fuerat primùm jucunda voluptas,  
Tàm fuit ægrè animo rursus, discedere postquàm  
Et properare paras peregrinas orbis ad oras.  
Sed quia fata volunt, quèis non contendere fas est,

E

Feli-

Felicem vobis cursum, auxiliumq; supremi  
Numinis, & fausti splendorem sideris opto.

*Amoris ergò grat.*

*Georgius Rudolphus à Trotha.*

---

AD Dn. FRIDERICUM DE SALHAUSEN,

&

Dn. M. JOHANNEM LANGENHEIM, AMICOS  
suos mellitissimos.

**I**bitis ergo? animoq; sedet sententia firmo,  
Perlustrare alias, cursu multiplice, terras?  
Ac multorum animos hominum cognoscere & urbes?  
Salhusi generis decus; & tu docte Magister;  
Quem Musa Pallasq; fovent, Charitesq; serenant.  
Ite Dei nutu, fatis felicibus ite.  
Per terras & aquas, campos, sylvasq; silentes,  
Per montes tumidos, per depressas convalles,  
Perq; urbes & agros, fatis felicibus ite.  
Terra, via molles gressus, callemq; politum,  
Et Neptunus aquis portus det habere secundos.  
Aura salubris est campis, et sylvaq; ministrant,  
Præsidium à Boreâ rapidoq; levamen ab aestu.  
Subsidant montes, simul ad sublimia valles  
Tendant, & cœant equali pondere colles.  
Urbibus excipiant Charites vos omnibus omnes,  
Nec Cyclopum unquam contingat inhospita tecta,  
Agrestesve, ubi barbaries, accedere villas.  
Omnia succedant, feliciter, omnia voto  
Congrua sint animi, nec spes frustretur euntes.

*Amoris ergò grat. Joan. Melchior à Griesheim.*

---

*ALIUD.*

**N**estora cur cecinit grandævum carmine Homerus?  
In promptu causa est; verba diserta dabat.  
Magna fuit quondam grandes ætate disertis  
Laus verbis causas proposuisse suas.  
Tu Juvenis vix dum natus tria (maxima laus est)  
Lustra, voluptati verba inimica facis.

Tam

Tam bene, tam cultè, & dextrè FRIDERICE peroras,  
Ut liqueat magnis te placuisse viris.  
Nomina sic addes claris genitoribus ampla:  
Sic linguas, artes moribus adde piis.  
Sit dos magna, esto, virtus præclara parentum:  
Veriùs aut virtus propria nobilitat.  
Quin age majorum magnos, convictor amice,  
Scande super titulos, gloria major erit.

Τῆς Φιλίας ἢ συνοικίσεως ἢ συμειώσεως ἕνεκα, adjecit  
Conradus Guilielmus à Selbach cognomine Quadfasel.

ALIUD.

Ur linguis Giessam? forsan facundia causa est?  
Hæc, ut cœpisti, te cumulare studes?  
Causa subest gravior: Musarum hac sede relietâ  
Præclarâ, nostris te evehis ex oculis,  
Ut mores videas (una hand fert omnia tellus)  
Diversos hominum; solum imitere bonos.  
Anidum docto pectus quò flumine tingas,  
Et redeas cultus moribus, arte, domum.  
Sit felix abitus, reditus felicior esto:  
Sis patria columen, gloria magna patris.  
Nec tamen, hoc oro, capiat te oblivio nostri,  
Absentis præsens pectus adesse sinas.

Ad conservandam conversationis, cohabitationis &  
convictus memoriam lubens apposuit  
Joannes Wolgangus à Selbach cognomine Quadfasel.

ALIUD.

FRIDERICE Boni gratum patris ornamentum!  
Cui fluit à superis, Nobilitatis honos!  
Culta Pericleis recitata oratio verbis  
Fert tibi, Gissenâ teste, perennè decus.  
Gratulor; at Dominum rogo, te comitetur euntem,  
Ipse via sit Dux, in patriamq; Redux!

M. Iohannes Lenslerus.



FRI-



FRIDERICUS DE SALHAUSEN,

*Anagr.*

DEUS! VIR HINC SALES ADFER.

*Vel*

FRIEDERICUS DE SAL(h)AUSEN

*Anagr.*

INDE REFERAS DECUS AULIS.

**D**Epereunt Juvenem sat claro sanguine natum  
Floridulae tres Nymphae (hoc dicat nominis omen)  
Gratia, Laus, Virtus: quae vis proprium petit illum.  
Blandius, accedens cum Musis risit Apollo,  
Felici auspicio donans superare labores  
Pierios. Deus ô bone! primo in limine vita  
Sat longè cunctas spes exuperare videtur,  
Quando Epicurei deliramenta refutat,  
Blanditer arridens cui cordi est blanda voluptas.  
Auree flos juvenum, sic pergis tramite rectò,  
Sic sale conditus virtutum & laudis orabis,  
Et Charitos blandos magis experiere favores.  
Num dubitem? Vir macte sales hinc providus adfer;  
Sic decus inde olim referas prudentior aulis,  
Quas Venus illaqueat; quae Salmacis unda superbit;  
Hinc tibi fama locis exsultim didita surget  
Cunctis, ut Phœbus dextrum mihi sternuat omen.  
Quid causor? de te summa expectatio patris  
Haud quicquam in dubium Phœbò suadente, vocabit.

M. Bernhardus Mengwein Thuring.

F I N I S.

